

*titulus repertus est, stetisse saec. III cohortem secundam Breucorum atque ei etiam nomen dedisse docent miliarii ibidem reperti (supra N. 573. Eph. ep. 7, 674). — 4) A. 243.*

**2609** Caésio dec.<sup>1</sup> | félicitér! | homini bonó, | gratias agimus | omnes commilitones | qui sub cura eius sumus.

**2610** Q. Caesio Valenti | dec.<sup>1</sup> álae Vócontior.<sup>2</sup> | feli[cí]ter! hábeas propitium imp.

**2611** omnibus | commilitonibus | qui hic fuerunt ad | custodias felic. I | coh. scut. c. R. félicitér! | coh. III Itur.<sup>3</sup> felicit. I

*In Aegypto, in collium qui dicuntur Djebel-el-Tukh, lapicidinis vetustis, tituli minio picti (Eph. ep. 7 p. 427 descr. Sayce). — 1) Caesius Valens decurio alae Vocontiorum praefuit militibus cohortium scutatae civium Romanorum et tertiae Ituraeorum et fortasse aliarum quoque, deputatis ad custodiam in metallis damnatorum. Decurionem alae curam vexillationis legionariae habuimus supra N. 2485. — 2) Alam Vocontiorum, cuius Caesius fuit decurio, tituli (supra N. 2536; C. VII 1080) testantur aliquando in Britannia fuisse. — 3) Cohors tertia Ituraeorum memoratur inter auxilia exercitus Aegyptiaci in diplomate anni 85 (supra N. 1996); cohortem scutatam civium Romanorum aliquando in Aegypto fuisse non traditur.*

**2612** Annius Rufus  $\gamma$  leg. XV | Apollinaris<sup>1</sup>, praepositus | ab optimo imp. Traiano | operi ma[r]morum monti | Claudiano<sup>2</sup>, v. s. [L.] a.

*In Thebaide ad montem hodie dictum Djebel-Fatire, olim, ut ex hac inscriptione apparet, Claudianum (III 25 descr. Wilkinson). — 1) Nisi fallor, etiam hic centurio legionarius praepositus fuit militibus unius vel complurium cohortium. — 2) Claudianus dictus mons sine dubio a Claudio, sub quo primum lapicidinae eius porphyreticae exercere coeptae sunt (Plin. h. n. 36, 57). Ad easdem lapicidinas pertinent tituli Graeci C. I. Gr. 4743<sup>c</sup> seq.*

**2613** Fortunae | Respicienti sacr. | Nasellius Pro|clianus  $\gamma$  leg. | VIII Aug., prae|positus chor. | I Helvetiorum<sup>1</sup>, | Torquato et Iuliano cos.<sup>2</sup>

*Prope Böckingen (Württemberg, Neckarkreis) rep., est Stuttgarti (Brambach 1535 vidit). — 1) Eadem cohors prima Helvetiorum, una cum Brittonibus Aurelianusibus (de quibus cf. infra ad N. 2675) in vico Oehringen posuit titulos Brambach 1559. 1560, similiter sub cura centurionis legionarii (Korrespondenzbl. der Westd. Zeitschr. 1889 p. 48). — 2) A. 148.*

**2614** I. o. m. | vexil. | coh. I | Seq. et Raur. | eq. sub cur. | Anton. Nata|[i]s  $\gamma$  leg. XXII P. | p. f.<sup>1</sup>, ob burg. exp|lic.<sup>2</sup> v. s. l. l. m.

*In castello Schlossau prope Baden (Korrespondenzblatt der Westdeutschen Zeitschr. f. Gesch. u. Kunst 1884 p. 85). — 1) Alius titulus quem cohors prima Sequanorum et Rauracorum equitata, vel etiam vexillatio eius, a. 192 posuit curam agente centurione legionis vicesimae secundae Primigeniae, prodiit Frankofurti ex ecclesia cathedrali (ann. Rhen. 55/4, 1875 p. 154). Eiusdem cohortis centurio Miltenbergi, ubi et aliud fragmentum ad eam pertinens repertum est (Brambach 1744), posuit titulum editum a Christio ann. Rhen. 52, 1872 p. 86 [= Brambach 1740]. Cf. etiam supra N. 2584. — 2) Ob burgum explicatum (burgum explicare, fortasse idem quod consummare; explicito balineo titulus Britannicus VII 984 positus est).*